

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]\$nElektronische Ressource

**Fecht, Johann
Fecht, Gustav Friedrich**

Rostochi, 1704

VD18 10451528-001

§. XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

occurrit Exod. I. 5. ubi dicitur: וַיִּוְסֵף הַיִּרְדָּן נַמְצָרִים
 quod cum *Onkelo & Tremellio* convertit: septuaginta erant
 animæ unâ cum *Joseph, qui erat in Aegypto*. Consentit cum ipso
D. Christian. Noldius & Bochartus in *Hierozoico*. *D. Seb. Schmidius*
 existimat, unū nomen *habitor* stare pro duobus hoc
 sensu: *habitor tentorii & vir pecoris*. Cæterum uti *Ja-*
bali hoc loco inventio tentoriorum & pascendi pecoris,
Jubali verò Musicorum instrumentorum & Tubalkaino
 æris conficiendi aprandiq; inventio tribuitur: ita frustra
 hæc omnia à *Seb. Münstero & Isidoro Clario*, *Lamecho*, viro,
 ut ait, *in omni arte prudentissimo*, tanquam primo auctori,
 qui has artes ad filios illos suos traduxerit, adscribuntur.
 Nec enim *Lamech* אָמֵי, *primus* horum artificiorum in-
 ventor, sed filii ipsius dicuntur.

§. XXXVII. Ad v. 21. *Jubal pater pulsantium in*
cithara & organo, אָמֵי autorem primumque inventorem
 notat. *D. Seb. Schmidius* præterea putat, denotare infi-
 gnem artificem. Quod utique conceditur pro modulo il-
 lius temporis, quo quicquid ad perfectiorem statum,
 quam antea fuerat, evehitur, excellens nobis & singu-
 lare apparet. Quemadmodum poësi Germanica è Ger-
 mania prorsus exulante *Joannis Sachsi* rhythmus, ut cun-
 que hodie nobis simplicissimi, imo & auribus nostris
 graves videantur, summo tamen eo, quo vixerat, tempo-
 re, in pretio apud omnes erant & admiratione. Et tor-
 te ex reliquiis Musicæ Jubalæ, adhuc hodie in Asia super-
 stitibus, de quibus *Clericus* ad h. l. apparere posset, qualis
 & ipsius quoque inventoris Musica olim fuerit, cum qui
 ad ea loca profecti mores illarum regionum nobis percen-
 suerunt, eloqui satis non possint, quam illa, si ad no-
 stram Musicam referatur, moleste in auribus strideat &
 audi-

audientium sensus offendat. Equidem *Raschi* Jubalitica Musica abufos esse putat ad sacra idololatrica, quod Observatores Halenses, ceu supra diximus, ad stabiliendam suam sententiam de simplicitate cultus Divini ante Cainum & introductis à Caino atque posteris ipsius inutilissimis in cultum Divinum ritibus & pompis arripiunt. Sed si ideo instrumenta Musica ex Ecclesia eliminanda sunt, quia eorum autores vel propagatores iisdem ad idolorum cultum juxta incertam Judæi narrationem abufi fuerunt, armenta quoque ovium pecorumque ex Christianismo abigenda fuerint, de quibus idem *Raschi* ex Agada: בונרו

בתיכם לעו" כמרו דערז אמר סמל הקנארו המקנרו:
adificans domos ad cultum peregrinum seu idololatricum, unde in proverbio dicit solet: simulacrum amulationis pecus. Sensus verborum est: ædificasse Jabalem domos ad exercendam pecorum cultu idololatriam, ceu proverbio apud Ebræos dicebatur: *simulacrum idololatriæ pecus.* Quæ enim gentes pecori operam dabant, ut ex ejus solius proventu omnem sustentationem suam quærerent, hoc animal tanto in pretio habebant, ut in simulacro illud ceu Deum & omnium ad se redeuntium bonorum fontem adorarent; ut de Ægyptiorum Apide res nota est. Ut igitur organa Jubalis Musica idololatriæ inserviebant: ita pariter pecora Jabalis. Si verò musicalis illa pompa simplicitatem cultus Divini dedecet, cur verò DEUS in Vet. Test. hanc pompam non assumpsit tantum, sed & introduxit atque mandavit.

§. XXXVIII. Ad v. 22. *Acuentem omnem opificem.*) Denuo in verborum constructione obscuritas suboritur. Quid enim est: לוטש כרל חורש, *acuens omnem opificem?* Metalla enim & instrumenta acuuntur poliunturq;

H 2

turq;